

## **In Jeremiam**

Luis del Alcázar S.I.

Transcripción y notas de Antonio Navas S.I.

[f.78]

Jhs

### ***Praefatio***

per R.P. Ludovicum  
del Alcazar, Hispali,  
anno 1591, mense Octobris

### ***De auctore, argumento et stilo huius libri***

1. Ad huius libri praetium sive praestantiam agnoscendas valde refert existimatio de auctoris sanctitate, et quidem de illius in utero sanctificatione dicemus infra c.1, de illibato virginitatis flore, cap.16. Addit D. Thomas 3p.q.27a.<sup>61</sup> Jeremiam numquam pecasse mortaliter atque idem docet expresse Athanasius sermone <sup>42</sup> contra Arrium dicens illum fuisse omnis criminis purus quippe qui ex utero sanctificatus fuerit. Origenes<sup>3</sup> hom.1, reliquis prophetis anteponit. Hieronymus<sup>4</sup> in prooemio et alibi virum evangelicum eum appellat, et 23 certe nullum inquit puto esse sanctiorem Jeremia qui virgo, propheta, sanctificatus in utero, ipso nomine praefigurat Salvatorem. D. Gregorius Naciancenus<sup>5</sup>, oratione 17, initio, ait commiseratione omnes prophetae ait [sic] ab illo vinci. Praeterea habetur insignis laus Jeremiae, 2 Macabeos cap.15, v.13.

---

\* Archivo Teológico Granadino prosigue con la publicación de las obras inéditas del P. Luis del Alcázar S.I. En este número se inicia la publicación de su *Comentario al Profeta Jeremías*. Manuscrito procedente de la Universidad de Salamanca. Manuscrito 272.

<sup>1</sup> THOMAS AQ., 3p.q.27,a.6. Ed. Vivès t.5 (1872), p.109.

<sup>2</sup> En realidad la cita no es exacta ya que pertenece al discurso III contra los arrianos y no al IV. ATHANASIUS, *Oratio III contra arianos*, PG 26, 394.

<sup>3</sup> ORIGENES, *Hom 1ª transl. Hieron*, PL 25, 614.

<sup>4</sup> HIERONYMUS, *Prologus in Jeremiam*, PL 28, 903.

<sup>5</sup> GREGORIUS NAZIANCENUS, *Oratio 17*, PG 35, 966.

2. Canisius libro 1º Marialis cap.9<sup>6</sup>, docet tantam sanctitatis rationem fuisse Jeremiae collatam quoniam prae caeteris divinitus fuit electus qui verbis, factis, vita et morte Messiam expressius adumbraret. Rupertus<sup>7</sup> in sua expositione late et optime persequitur quomodo Jeremias Christi gesserit typum, nomine, sanctificatione, praedicatione et ad gentes conversionem. Lege quae colligit suo c.3 et vide etiam Capellam<sup>8</sup> in fine praefationis. Origenes in eodem sensu forte etiam nimius est omnino enim vult ut nihil prorsus de se dicat Hieremia quod non verissime de Christo intelligatur, etiam illud *nescio loqui quia puer ego sum*.

3. Commendat etiam sanctitatem Jeremiae quod honoris causa in die festo Joannis Baptistae accommodantur sive ea quae ad litteram de Jeremiae dicuntur propter amborum similitudinem. Adde quod sicut Melitenses milites patronum agnoscunt Baptistam ita quidem Machabei Jeremiam agnoscebant utpote quod eorum fortissimo duci Judae gloriosus apparuerit et auriensem tribuerit gladium in quo dejiceret adversarios populi Dei. Vide 2 Machabeorum 15. Et facit quod Jeremias c.1 narrat de virtute, sanctitate caelitus sibi collata.

4. Ad sanctitatis confirmationem maxime pertinet qualitas mortis, sed hanc laudem alia forte maiori compensare volunt nonnulli dicentes Jeremiam adhuc esse superstitem et futurum esse testem adversus antichristum. Ita Victorinus Martyr Apoc 11<sup>9</sup>, et citat pro se omnes veteres in genere. Secundum huius paradoxim et pariter illius impugnationem vide apud Pererium, Daniel 12 Consurget Michael<sup>10</sup>. Et in Sixto Senensi, libro 6, notatione 346<sup>11</sup>. Deinde notat Hederum in sua oeconomia tractare quo genere mortis interierit Jeremias et ibi adducit ex Josepho<sup>12</sup> [f.78v] Jeremiam in caeno fuisse demersum, verum id quidem sed nihil ad rem quia Josephus non ait tunc obiisse prophetam sed narrat quod habetur 38 capite. Deinde addit Hederus Hieronymum docere prophetam apud Taphnes in Egypto a populo lapidibus obrutum occubisset et ibi sacre sepultum et ab eo loco fugare serpentes. Verum neutrum ego apud Hieronymum invenio sed apud Isidorum, de scriptoribus ecclesiasticis c.33<sup>13</sup>,

---

<sup>6</sup> CANISIO, P., *De Maria Virgine*, Ingolstadt, 1577).

<sup>7</sup> RUPERTO DE DEUTZ, *In Jeremiam prophetam commentariorum liber unus*, c. 1, PL 167, 1365.

<sup>8</sup> CAPILLA, A., *Commentaria in Jeremiam*, Scala Dei 1586.

<sup>9</sup> VICTORINUS PETAVIONENSIS, *Scholia in Apocalypsin Beati Ioannis*, c. XI, PL 5, 334.

<sup>10</sup> PERERA, B., *Commentariorum in Danielem* (Roma, 1587).

<sup>11</sup> SISTO DA SIENA, *Bibliotheca sancta*.

<sup>12</sup> Caspar HEDIO tradujo a Flavio Josefo al alemán.

<sup>13</sup> ISIDORO DE SEVILLA., *Liber Isidori Hispalensis episcopi de scriptoribus ecclesiasticis*.

et apud Epiphanium<sup>14</sup> in vitis prophetarum et in Calendario romano calendis Maii. Addit Baronius<sup>15</sup> idem haberi in menologio grecorum et refert ex prato spirituali ossa Jeremiae fuisse in alium locum translata. Autor etiam operis imperfecti in Mt, homilia 41, ait Jeremiam fuisse lapidatum sed non indicat locum. Certum est martyrium Prophetae et certa miracula post mortem et deceptus est Victorinus non supponit id fuisse a veteribus ignoratum neque habenda est ratio eius traditionis hebraeorum quam refert Genebrardus<sup>16</sup> in Cronico fol.144 ex libro federis, nempe Jeremiam ex Egypto salvum et incolumen rediisse anno Nabucodonosoris 27, quo ab eodem capta est Egyptus.

5. Iam de argumento libri idem fere est quod reliquorum omnium prophetarum ut bene ait Ribera<sup>17</sup> in 12 minores, preludeo 2 n° 2, scilicet peccata reprehendere, imminentem Dei ultionem nisi populus respiscat prophetare, et in tantis malis spem futurorum bonorum excitare et Christi adventu praenuntiatio ad pietatem accedere singulariter autem Jeremiae prophetia versatur in captivitate babilonica et in civitatis ac Templi ruina pariter et incendio, nisi quod prius agit de sui ipsius electione in prophetam et deinde causam Dei per 10 capita iustificat. Postea conqueritur de malis quae previdet se ex hac legatione subiturum et tandem accedit ad calamitatum prophetias prius quidem sub variis metaphoris per 7 capita et postea manifesto sermone accedit rerum historia, et ultimo extendit prophetiam contra aegyptios, palestinos, moabitas, amonitas, ac caldeos. Haec est libri summa. Quod si quis magis distinctam partitionem desideret consulat Hederi tabulas.

6. Quod ad stylum attinet Hieronymus epistula 118, duo dicit de nostro propheta, alterum quod stylus subrusticus sit, et alterum quod simplicior sit sive planus et apertus; rusticitatem ait Hieronymus<sup>18</sup> accidisse prophetae a loco in quo natus est. Crediderim tamen eam rusticitatem potissimum ortam esse a Spiritu Dei qui in diversis diversa operatur prout vult et sicut quosdam ex rusticis facit facundos et eloquentes, ita, contra, alios qui facile posunt sermonis elegantia uti, facit eos sanctae rusticitatis amatores. Et tamen in ea rusticitate tanta ostenditur vis ad commotionem animorum ut facile ibi appareat digitus Dei; certe cum homo valde disertus sit admirabili praeditus eloquentia egregie concionat quantumvis caelesti Spiritu inflammatus [f.79] appareat vel dicemus illam esse coelestem eloquentiam et labia illa videri a

<sup>14</sup> EPIPHANIUS, *Epiphanii liber de vitis prophetarum*.

<sup>15</sup> BARONIO, C., *Martyrologium Romanum cum notationibus Baronii*, 1586.

<sup>16</sup> GÉNÉBRARD, G., *Chronologia Hebraeorum Major*, Paris 1578.

<sup>17</sup> DE RIBERA, F., *In librum duodecum Prophetarum commentarii*, 1587.

<sup>18</sup> HIERONYMUS, *Prologus in Jer.*, PL 28, 903.

seraphico sacro igne purgata ut contigit Isaiae non tamen ita apparet ibi digitus Dei ut in homine infante et rustico cuius voces maiorem forte vim et magis admirandam virtutem habere unius quam alterius eloquentiam, eiusmodi est quod Jeremiae sicut Apostolis plerisque concessum est et ideo non dicuntur labia Jeremiae a seraphine purificata sed ipsa Dei manu sive digito roborata.

7. Denique quod addit Hieronymus<sup>19</sup> de plano et aperto stylo id nostram brevitatem excusabit quia et eadem ratione se excusat Hieronymus in prooemio dicens non esse quaerendam latam expositionem super his quae per se patent intelligentiae. Theodoretus<sup>20</sup> ait arbitrari quidem Jeremiam prophetam nulla egere interpretatione, non tamen propterea negatur quin Jeremias sit multis in locis explicatu difficilis in quibus habemus quos consulamus praeter totius Sacrae Scripturae glossatores, Origenis homilias, Hieronymi commentarios, Rabani catenas in quo non omittimus ullum Hieronymi verbum. Habemus etiam Theodoretum atque Rupertum, extat etiam commentarius sub nomine D. Thomae quem tamen Sixtus Senensis<sup>21</sup> censet non esse D. Thomae Doctoris Angelici sed alterius cuiusdam Thomae anglici. Denique nuper prodiit in lucem Andreas Capella ad hos remittam saepe lectorem ne bene scripta videamur male transcribere, omnia vero quaecumque dicam Ecclesiae atque Doctorum censurae libenter subiiciam,

## Caput 1

1. Summa capitis est quis fuerit Jeremias quo tempore prophetaverit, quomodo fuerit sanctificatus et in prophetam electus, et qua ratione ostensis ei virga et olla et explicato imminente iudaeorum ex divini misterio missus sit ad predicandum.

2. *Verba Jeremiae filii Helciae de sacerdotibus qui fuerunt in Anathot.* Notat Capella Helciam patrem Jeremiae fuisse summum sacerdotem, eum scilicet de quo fit mentio 2[v.4] Regum 22 et 2 Paralip 34. Eandem opinionem tribuit Hederus Hieronymo in traditionibus hebraeorum in 1 Paral, sed Hieronymus plane non asserit; eius enim verba sunt Helciae sacerdos magnus, librum legis invenit et dicitur fuisse pater Jeremiae prophetae, dicitur, ait, sed ab aliquibus. Ego vero Dico 1<sup>o</sup> id non colligi ex Sacra Scriptura, alioqui diceremus etiam Susannam, Daniel 13[v.2], et Eliacim, 4 Regum 18[v.18], et Joaquin, Baruc 1[v.7], omnes esse fratres Jeremiae qui singuli

<sup>19</sup> HIERONIMUS, TRANSLATIO ORGENIS, *prooemium hom. Hierem.*, PL 25, 611.

<sup>20</sup> THEODORETUS, *In Jeremiae prophetiam praefatio*, PG 81, 495.

<sup>21</sup> SIXTUS SENENSIS, *Bibliotheca Sancta*, 1566.

dicuntur filii Elciae, constat autem eo tempore multos fuisse Helciae nomine appellatos. Dico 2<sup>o</sup>, conformius videri Sacrae Scripturae dicamus patrem Jeremiae esse alium a summo sacerdote quia illa verba de sacerdotibus qui fuerunt in Anathot videntur prorsus adjecta ad significandum cuius Elciae fuerit filius Jeremia et aliquem ex inferioribus sacerdotibus [f.79v] denotare non enim apte designatur summus sacerdos dicendo illum fuisse unum ex sacerdotibus qui fuerunt in Anathot praeter quam quod non est verisimile eum qui jure hereditario credit pontificatum anathoticum fuisse ex humili vico. Accedit etiam conjectura ex rusticitate Jeremiae: quis enim sibi persuadeat maiorem vim habuisse vicum Anathot ad imprimendam rusticitatem filio pontificis quam aulam pontificiam ad sermonis elegantiae consuetudinem. Praeterea non videtur Hieronymi praedictae hebraeorum traditioni fidem habuisse quandoquidem hic in commentariis ubi de genere prophetae sermo est omisit eas.

3. Lyranus<sup>22</sup> et Thomas hic utuntur illa regula hebraeorum quam refert D. Hieronymus<sup>23</sup> initio Sophoniae, nempe cuiuscumque prophetae pater aut avus ponatur in titulo ipsos quoque prophetas fuisse atque ita dicunt Elciam fuisse prophetam eam tamen traditionem valde impugnat Ribera in Minores, praeludio 9. Ego vero si crederem eum cuius filius dicitur esse propheta ipsum quoque prophetam fuisse suspicarer nomen *filii* poni pro *discipulo*, sic enim saepe dicuntur filii prophetarum libro Regum.

4. *Quod factum est verbum Domini ad eum*. Quid sit fieri verbum Domini ad aliquem vide Ribera, Oseae initio, et nota plus fortasse ponderis habere fieri verbum quam dici verbum lo que va de decir a hacer. Verba ergo Domini non solum quando opere complentur sed etiam quando revelantur fieri dicuntur quasi res maioris momento, aut fortasse quia adeo vicina sunt in Deo dicere et facere todo es uno, dicho y hecho. Haec de frasi.

5. Sed in constructione illius relativi *quod* laborant Lyranus et Capella. Ego vero crediderim sic facile construi quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Josiae et factum est in diebus Joachin, etc, quasi diceret quod verbum Dei quod factum est ad eum in diebus Josiae factum etiam est in diebus Joachin in qua constructione supponitur eum qui antea prophetaverat in diebus Josiae tempore Regum subsequen- tium iterum prophetasse, qui modus loquendi videtur prae se ferre aliquam concionum Jeremiae interruptionem, et certe cum conciones Jeremiae sint plenae reprehensionis contra impietatem et idololatrias populi, verisimile est eas fuisse intermissas post 18 annum regni Josiae usque ad mortem eius. Cum enim antea regnaret impietas, ut videre est

<sup>22</sup> DE LIRA, N., *Postillae perpetuae sive brevia commentaria in universa Biblia*, 1471-1475.

<sup>23</sup> HIERONYMUS, *Com. In Sophniam*, c.1. PL 25, 1402.

4 Regum et 2 Paral et constet Jeremias 13 anno prophetare coepisse et anno 18 regni eiusdem impietas proscripta sit, ut notat 4 Regum 22,3 et explicatur 2 Paral 8, consentaneum est credere Jeremiae concionibus magna ex parte deberi quod dicitur de Josia Eccli 49,4 in diebus peccati corroboravit pietatem et 2 Paral 34, cunctis diebus eius non recessit populus a Domino Deo patrum suorum illis contra 13 annis verisimile est intermissam fuisse prophetiam Jeremiae [f.80] vehementem impietatis populi acusationem usque ad tempora regum subsequenter in quibus maiorum idololatria non solum est ab inferis revocata sed etiam aucta et cumulata, atque ita flagellum prophetiae Jeremiae fuit denuo maiori contentione geminandum.

6. *In diebus Josiae.* Nota ex fine libri 4 Regum et 2 Paralip citare successive per ordinem regnasse Josias annos 31, Joacaz 3 menses, Joachin annos 11, Joiachin 3 menses et Sedecias annos 11, unde colligitur Jeremiam prophetasse 40 ut minimum annos, quia vero Joachaz et Joachin, quamvis fuere a populo electi non tamen sunt confirmati nec regnare permisi ideo omittuntur a Jeremia.

7. *Usque ad consummationem undecimi anni.* Hoc usque ad consummandum 11 annos Sedeciae, sed videtur annus inceptus haberi pro completo, constat enim ex 4 Reg 25 etc Jeremia 51, undecimo anno Sedeciae 9<sup>o</sup> die mensis 4ti, expugnatam esse Jerosolyman et mense 5<sup>o</sup>, 9<sup>o</sup> die mensis, domum Domini cum coeteris consagrasse et tunc translatas esse reliquias Babilonem. Nisi quis dicat quod illum mensem annumerandum esse a principio anni communis et usualis atque adeo fieri posse ut mensis 4 vel 5 anni sit 12 undecimi anni Sedeciae, hac enim ratione optime cohaeret quod ait Jeremias usque ad consummationem 11 anni scilicet usque ad transmigrationem Hierusalem in mense 5. Posset etiam forte aliquis se expedire computando illos 4 vel 5 menses post absolutum 11 annum Sedeciae sed praestat 1<sup>a</sup> vel 2<sup>a</sup> expositio quia Sacra Scriptura ait civitatem fuisse obsessam usque ad 11 annum Sedeciae atque adeo non licet extendere obsessionem ad annum 12.

8. Origenes, homilia 1<sup>a</sup> optime perpendit cur adnotetur tempus prophetiae Jeremiae tan peculiari enumeratione mensis, nempe ut appareat Deum qui tempore Josiae, Joachin et Sedeciae populum minis deterrebat a peccatis, adeo esse misericordem ut adhuc hortaretur eos eo ipso tempore quo iam captivitas imminabat tribuens ut ita dicam et ante unum diem poenitentiae locum.

9. Dices in hoc libro continentur conciones aliquot Jeremiae habitae post illum 5um mensem, quomodo ergo solum ait in undecimo usque ad transmigrationem Hierusalem. Respondeo caetera esse velut appendices et forte pre dolore post desolationem Templi et civitatis quasi simul ipse obierit suis prophetae concionibus apponit tantum usque ad eum diem et non audet in undecimo indicare se fuisse superstitem. Vide Job 3[6] *non computetur in diebus anni* etc

10. *Et factum est verbum Domini ad me: prius quam te formarem in utero novi te.*

1° hic facile se expediunt interpretes ab his qui hoc loco abutuntur vel ad asserendam existentiam singularum animarum ante suorum corporum formationem vel ad justificandam aeternam Dei vocationem et electionem et similiter reprobationem ex praevisione eorum quae singuli facturi erant si vocarentur [f.80v] et Primus error tribuitur Origeni et alter Theodoro sed uterque alibi ex professo impugnantur.

11. 2°, Nota Augustinum<sup>24</sup> 6 Genesi ad litteram c.8 et 9 ubi hunc exponit locum id maxime velle explicare scilicet quomodo Deus futura cognoscat ante quam sint. Verum ea difficultate scholasticis

relicta, dico non videri in praesenti accipi debere proprie et formaliter illud verbum *novi* quia contextus postulat ut expositio contineat aliquid peculiare in favorem Jeremiae, scilicet cognosci ab aeterno Deo est commune amicis et inimicis ergo non est sermo de ea cognitione.

Verum dicat forte quis cognitionem communem omnibus justis esse favorem quia per eam approbantur, et impiis rigorem quia eorum acta condemnat atque adeo optime cohaeret ut in favorem Jeremiae dicatur quod fuerit perfectus notus Deo. Respondeo nulla ratione videri explicandum hunc locum de notitia approbante quia eiusmodi approbatio supponit bona opera et consequenter incideremus in errorem Theodreti. Sensus enim est Jeremiam electum esse in prophetam propter bona opera praevisa et approbata.

12. Ex dictis plane colligitur *noscendi* verbum in praesenti accipi debere figurate et mihi prorsus videtur poni cognitio pro electione ad singulariter benefaciendum ut exponit Ribera. Idem, Amos 3, *tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terrae* et quod ait *prius quam te formarem in utero novi te* non solum significat electum esse ante formationem in utero sed etiam ante praevisionem formationis quod forte non omnibus praedestinati contingit, ut late dixi Cor. 1°.

13. *Et antequam exires de vulva sanctificavi te.* Ex hoc loco nonnulli adeo certum esse putant Jeremiae adhuc in utero matris collatam fuisse gratiam justificantem ut haereticos putent qui hoc negant. Ita videtur sentire Canisius in Mariali, libro 1° c.9, ait enim adserens hactenus doctos omnes affirmare quod Pomeranus et Calvinus negant id est Jeremiam fuisse in utero justificatum et eos quidem explicare *sanctificavi te*, id est segregavi in prophetam, verum luculentior esse frasim Sacrae Scripturae quam ut hoc modo eludi et a sectariis corripri possit. Deinde adducit pro se Hieronimum, Athanasium, Ambrosium, Originem, Bernardum et scholasticos in genere, et invehitur

<sup>24</sup> AUGUSTINUS, *De Genesi ad litteram*, 1.6, c.8s, PL 34, 344-346.

in Lutherum eo quod pro *sanctificavi* transtulerit praeparavi et segregavi. Medina<sup>25</sup> 3 p. q.27, a.6 ait communem esse omnium theologorum sententiam Jeremiam fuisse in utero matris justificatum, et adducit Ambrosium lib, 1 in Lucam et repetit id ipsum amplecti caeteros omnes Doctores sed excipiat Jeronimum. Arboreus<sup>26</sup> libro 8 theosophiae c. [3] ait aptissime monstrari hoc capite Jeremiam fuisse ab omni labe purgatum ante quam nasceretur et pro se adducit Hieronymum, Augustinum atque Liram.

14. Dico 1<sup>o</sup> me in praesenti non negare Jeremiam fuisse antequam nasceretur divino munere justificatum neque enim volo sanctissimis prophetis negare quod ei multi concedunt, ut Bernardus quem adducit Capella, et D. Thomas<sup>27</sup> 3 p.q.27,a.6 et ibi Cajetanum. Idem memini legisse in D. Bonaventura super Magistrum [f.81] et video eandem huius explicationem a multis ut certa usurpari.

15. Et tamen dico 2<sup>o</sup>, falso citari tot veteres Patres pro ea sententia ut Ambrosium, Hieronymum, neque enim omnes qui dicunt Jeremiam ex utero matris sanctificatum fuisse illico sentiunt collatam illi fuisse gratiam justificantem antequam nasceretur sed citant verba Sacrae Scripturae fideliter et eorum verba eodem modo possunt exponi quo ipsa Sacra Scriptura explicatur, adde quod multi ex Patribus manifeste dicunt eo modo dici sanctificatum Jeremiam ex utero ut Paulus dicitur segregatus ex utero matris suae ita ut sanctificatio sit segregatio. Ita Hieronimus, Theodoretus<sup>28</sup> hic. Et similiter Chrysostomus<sup>29</sup> hom 1 ad Rom super id *segregatus in Evangelium Dei*, ait enim illis propter verbis significari quod iam pridem ex supernis ad hoc ordinatus esset, quod et Jeremias ait de se Deum dixisse *antequam exires de vulva sanctificavi te*. Irenaeus, libro 5 Contra haereses, c.15, post recitata verba Jeremiae subdit similiter Paulum dicere *quando complacuit ei qui me segregavit ex utero matris meae*. Gregorius Nacianzenus<sup>30</sup>, oratione 1, ait quidem Jeremiam ante quam crearetur cognitum fuisse et ab ipsa vulva sanctificatum, sed Elias Cretensis<sup>31</sup> eius comentator subdit Jeremiam

---

<sup>25</sup> DE MEDINA, M., *Christianae paraenesis sive de recta in Deum fide libri septem*, Venecia 1564.

<sup>26</sup> ARBOREUS, J., *Theosophia*, Paris 1553.

<sup>27</sup> THOMAS AQ., 3p, q.27,a.6. Ed Vivès 1872, t.5, p. 109.

<sup>28</sup> THEODORETUS, *In Jeremiae Prophetiam*, c.1, v.4. PG 81, 498.

<sup>29</sup> CHRYSOSTOMUS, *In Epistolam ad Romanos*, PG 60, 396.

<sup>30</sup> NACIANCENUS, *Oratio I<sup>a</sup>*, PG 35, 395.

<sup>31</sup> ELIAS CRETENSIS, *Sancti Patris Nostri Gregorii Nazianzeni theologi, Opera*, Tomus secundus quo Poemata omnia Graece ete Latine, una cum doctissimis Graecorum Nicetae



sanctificatum fuisse, id est Deo in ministerium assignatum. Rupertus, libro 1<sup>o</sup> in Jeremiam c.4, si atente legatur. Prorsus videtur in persona Jeremiae eandem explicationem sequi Augustinus, epistola 57, sed disertis verbis negat non solum Jeremiam sed etiam Joannem Baptistam fuisse ante quam nascerentur renatos. Jansenius<sup>32</sup>, in Concordia c.2, ait Augustinum qua parte de Joannis justificatione dubitat non recte sentire, sed ea parte qua sanctificationem Jeremiae intelligit per praedestinationem rectius sentire quam hi qui intelligunt Jeremiam revera sanctificatum fuisse antequam exiret de utero quia quod precedit, *prius quam te formarem etc* manifeste debet intelligi de nova praedestinatione et quod sequitur *prophetam in gentibus dedi te*, de donatione per praedestinationem, ergo similiter quod in medio ponitur intelligendum est et accipiendum eo modo quo de se ad Galatas dicit Paulus *cum placuit ei qui me segregavit etc* et quomodo ad Ephesios dicit *sanctos electos ante mundi constitutionem*.

Posset etiam pro hac expositione adduci quod alioqui non satis modestus videretur propheta si de sua ab utero sanctificatione ante omnia loqueretur sine necessitate ut apparet, incipere enim a suo munere et officio et a destinatione Dei ad illud aptum et consuetum est ut videmus in Paulo, Romanos 1; incipere vero a sua sanctimonia neque videtur satis aptum neque satis modestum neque ullo modo necessarium.

16. Aliam etiam explicationem indicant nonnulli in qua ex utero matris hiperbolem contineat atque idem significet quod apud scholasticos ab incunabulis, a prima infantia, et vide Ps 21[11] *in te projectus sum ex utero* et Ps 59 *alienati sunt peccatores a vulva [f.81v] erraverunt ab utero* et Ps 70 *de ventre matris meae tu es protector meus*. Favet huic explicationi Adamus, Gal 1, super id *qui me segregavit ex utero matris*, et Jansenius Ps 21 et 57 et forte Athanasius, oratione 4 contra arrianos. In presenti tamen aptius videtur explicare vel cum Hieronymo vel cum Bernardo.

17. Prima facie videbitur alicui fortasse similiter loqui de se Isaias ac Jeremias in presenti. Ille enim ait c.49 *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei, et etiam haec dicit Dominus formans me ex utero servum sibi*. Verum ibi conveniunt interpretes et contextus evincit sermonem esse ad litteram de Christo Domino.

18. *Et prophetam in gentibus dedi te*. Hinc assumpsit Victorinus occasionem illius paradoxae de quo in praefatione n.4. Vide hic Capellam et deinde nota multis videri gentium nomine in Sacra Scriptura semper accipi ut opponitur contra nomen judaeorum, atque ita Canisius, 1<sup>o</sup> Marialis c.9,

---

Serronii, Pselli, Nonii, Eliae Cretensis et Jacobi Billii commentariis in omnia ejusdem Gregorii Scripta, continentur, Coloniae 1690, 144.

<sup>32</sup> CORNELIUS JANSENIUS, *Concordia euangelica*, Antuerpiae 1558.

explicat prophetam in gentibus dedi te, scilicet ut non solum judaeis sed etiam multis in circuitu gentibus propheticum ministerium suo tempore presentes. Quam expositionem desumpsit ex Hieronymo et Theodoro. Dico tamen neminem fortasse fore nomen gentium in praesenti non mallet de judaeis intelligere si frasis Sacra Scriptura id patiatur quia prophetiae quae in hoc libro continentur adversus alias gentes sunt ut appendices, ut dixi supra n.9, quare cum eligitur in prophetam absolute eligitur in prophetam populi judaici et non in prophetam gentium. Quod si quis malit ut gentium nomen utrumque populum compraeendat atque ita interpretaentur Hieronymus et Theodoretus<sup>33</sup>, advertat obsecro ea quae sequuntur *ne timeas a facie eorum ecce constitui te hodie super gentes et super regna ut evellas et destruas edifices et plantes*- Certe haec non praestitit Jeremias nisi in populo judaico ut infra videbimus, ergo si fieri potest non debet in presenti gentium nomen ad alios populos extendi. Capella videtur optasse sic explicare, ait enim forte per gentes intellexit judaeos eo quod more gentilium vivebant sed non opus est ad eas rationes confugere cum simpliciter ferat frasis Sacrae Scripturae ut nomen gentium multitudinem populi significet sicut hispane dicitur mucha gente atque ita propheta gentium erit qui plurimis concionaturus eligitur atque id nomen verissime conveniet ei qui multos annos exercet concionandi munus licet numquam ad exterarum gentes proficiscat. Sed probemus illam esse frasim Sacrae Scripturae. Vide Sophonias, c.3,v.8, *Judicium meum ut congregem gentes*. Vide Ribera, ibi n.22, et perpende loca quae adducit Ps 105 *ad laetandum in letitia gentis tuae*, et Ezechiel 36[13] *pro eo quod sicut devoratrix hominum est et suffocans gentes, et infra gentem tuam non necabis ultra*, in quibus locis semper est in hebraeo gentium et gentes [f.82]

19. *Et dixi A A A Domine Deus ecce nescio loqui quia puer ego sum*. Decipiuntur qui putant illud a a a esse veluti balbucientis ut indicet se nescire verba formari, ex contextu enim constat esse interjectionem dolentis et in eodem procul dubio sensu accipit noster interpret ut B[...] Joel 1,15 a a a *diei quia prope est dies Domini*, eadem est interjectio Josue 7 ubi nos legimus *Heu Domine Deus*, et Judicum 6, *heu mihi Domine Deus*, et Judicum 11, [35] *heu mihi filia mea*.

Verum circa Jeremiae excusationes quaeritur an in ea sit laudandus vel exculpandus. Hieronymus enim potius videtur excusare quam laudare puerilis ait datur venia quae verecundia et pudore decoratur ideo mitius cum Jeremia agitur quam cum illo ipso qui iam robustae aetatis erat. Dico tamen Jeremiae excusationem omnino esse laudandam et licet Esaiae audacter se obtulerit dicens *ecce ego mitte me*, rationes tamen discriminis optime assignat Capella.

<sup>33</sup> THEODORETUS, *In Jeremiae Prophetiam*, c.1. PG 81, 503.

20. *Quia puer ego sum.* Videntur interpretes superiores nondum ex verbis excessisse Jeremiam atque ita conantur rationes reddere cur Deus puerum ad tantum munus destinaret, verum suspicor pueri nomen non ita stricte accipiendum quia Sacra Scriptura juvenes solet vocare pueros et qui se excusat non mirum est ut licet forte excedat 38 annos tamen ad munus propheticum adhuc se puerum appellet, sicut nos homines eius aetatis puerum dicimus ad munus provincialis obeundum.

21. *Noli dicere puer sum quia ad omnia quae mittam te ibis.* Ac si diceret ne pueritiae excusationem praetendas quia ego dabo tibi os et virtutem cui non poterunt contradicere omnes adversarii tui.

22. *Ne timeas a facie eorum quia ego tecum sum ut eruam te.* Hoc idem praeceptum atque promissio repetitur infra in hoc capite *ne formides a facie eorum quia ego tecum sum ut liberem te*, et capite 15 in fine *bellabunt adversum te et non praevallebunt quia ego tecum sum ut salvem te et eruam te, dicit Dominus, et liberabo te de manu pessimorum et redimam te de manu fortium.*

Consideratis his promissionibus et expensis angustiis quas passus est Jeremias quousque tandem lapidatus est, interrogare videtur sensus carnis quomodo verum sit *bellabunt adversum te et non praevallebunt quia ego tecum sum ut eruam te* et hinc forte occasionem sumerent hebraei illius opinionis de qua supra in prefatione n.4. Verum iuxta frassim Sacrae Scripturae non vincitur neque superatur propheta quando occiditur sed quando suo muneri deest unde Hieronymus hic: liberat autem Dominus non quo propheta persecutionibus careat et angustiis, quippe cum legamus eum multa perpensum, sed ut patiens omnia superet nec cedat angustiis, et infra *eruam te* non in eo ut tibi nullus insidiatur sed in eo ut patiens insidias non delinquas. Similiter Augustinus, libro 1 De sermone Domini in monte c.10, non calcatur ab hominibus qui patitur persecutionem sed qui persecutionem timendo infatuatur, calcari enim non potest nisi inferiori sed inferior non est qui licet corpore multa in terra substineat corde tamen infixus in coelo est. [f.82v]

23. *Misit Dominus manum suam et tetigit os meum.* Dubitatur primo circa haec verba quomodo intelligendum sit Dei manum tactum esse os prophetae. Capella significat forte hoc accipiendum esse allegorice ita ut Dei manus nihil aliud sit nisi Dei potentia qua ratione neque Deus neque Angelus apparuerunt Jeremiae sed solum factus est certior virtutis sibi ad prophetandum collatae. Ex commentario tamen Hieronymi constat eum aliter accepisse, ait enim Jeremiae, ut digniori, amplius quid concessum esse quam Isaiae, ad hunc enim missus est unus de seraphin qui eius purificaret labia igne sacro de altari sumpto et eius ori admoto, ad Jeremiam vero mittitur ipsa Dei manus. Si vero istud metaphorice accipiatur utique Isaiae etiam divinae virtutis contactum meruit,

imo forte amplius quid est quod sibi concessum esse narrat Isaias quam si solum diceret labia sibi coelesti virtute purificata fuisse, quia illa visio sive sit interna sive externa, insigniorem purificationem continere videtur, nisi forte etiam Capella velit similiter esse meram allegoriam id quod dicitur contigisse Isaias. Verum hoc videtur manifeste esse contra textum Sacrae Scripturae et contra planam atque receptam ab Ecclesia expositionem.

Verum dices: dato quod Jeremiae apparuerit manus Dei non inde colligitur hoc esse indicium majoris favoris et gratiae, plerisque enim videtur cum in Veteri Testamento dicitur apparuisse alicui Dominus, per nomen Domini intelligendum esse angelum portantem typum Domini. Vide Augustinum tractatu 3 in Jos, si ergo angelus apparuit Jeremiae et seraphim Isaias, magis favetur Isaias aut saltem non minus. Respondeo dato quod utrique apparuisset angelus, adhuc erat excellentius quod Jeremiae apparuisset quasi Dei personam gerens et non medio carbone et forcipe eius labia tetigisse sed proprius admota manu quasi obsculum manus concedens ut nostro more loquamur ad conferendam benedictionem praeter quam quod nihil opus est in praesenti cum dicitur missit Dominus manum suam angelum loco Domini accipere, constat enim eo modo quo angeli se mortalibus oculis aliquando objiciunt eodem posse apparere Deum ipsum.

Quod si dicatur eiusmodi apparitionem Dei soli Moisi inter profetas fuisse concessam, de quo late Jn 1, lect. 10, deveniemus tandem ad eam explicationem quae propheticis visionibus plerumque est accommodatio, scilicet ut utramque visionem tam Isaias quam Jeremiae dicamus fuisse interiorum in phantasia prophetae absque alicuius obiecti externi apparitione, et tamen manet solidum discrimen inter illas, dum alteri apparet Dominus manus suas admovens ori prophetae, alteri vero seraphinus admovens carbonem de altari medio forcipe. Praeter favorem autem singularem Jeremiae concessum significatur in eo discrimine uniuscuiusque prophetae modus concionandi scilicet coelestis facundia Isaias et divina rusticitatis Jeremiae virtus, ut diximus in praefatione n.6.

24. *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna ut evellas et destruas et disperses et disipes, edifices et plantas.* De quibus gentibus et regnis sermo sit diximus supra, n° 18, scilicet de multitudine populi Israel sub tribus regibus succesivis, verum quid est ut evellas et destruas. Capella haec verba refert ad praedictionem ruinarum et devastationem quasi diceret ut intermineris hortibus meis quos in regionibus his plantavi et confirmavi me captivitatis evulsurum illos nisi respiscant [f.83] et contra, me edificaturum et plantaturum, scilicet in pristinum statum restitutum eos quos destruxero et evulsero si poenitentiam egerint. Similiter fere Hieronymus, ait enim si haec verba ad personam Jeremiae referantur manifeste intelligi ex eo quod in

consequentibus jubetur ut in manu accipiat calicem meri plenum et cunctis in circuitu nationibus propinet. Verum haec explicatio non caret scrupulo quia non videtur satis esse ad hoc ut aliquis dicatur destruere et edificare quod praenuntiet destructionem et reedificationem nec satis est ad hoc ut quis dicatur constitui super gentes et super regna quod ad illos mittatur infelicitatis praenuntiator.

Confirmatur argumentum quia alioqui non adeo faceret iste locus Origeni, tractatu 1 in Matheum ut existimaret hoc non fuisse impletum in persona Jeremiae et ad Personam Domini referendum esse et propterea quosdam existimasse Christum esse Jeremiam. Neque solum Origenes fuit in ea sententia sed etiam alii multi, Hieronymus enim ait multos hunc locum super Persona Domini intelligere ergo multi cum Origene existimarunt constitui super gentes ad construendum et aedificandum esse multo maius quam eligi ad prenuntiandam destructionem; ad hoc enim non solum Jeremias sed etiam quivis alius poterat citra magnam laudem assumi.

Dico ergo me valde suspicari istum locum non tam intelligi debere ex his quae prophetavit Jeremias quam ex fructu quem Dominus ex illis concionibus intendebat colligere et ex divina virtute quae illi collata est ad commovendos animos auditorum, pro quo nitor in quo sensu explicetur iste locus de Christo Domino ab Origene et Hieronymo quia in eodem proculdubio apte intelligitur ad litteram de Jeremia. Certe Christus non dicitur constitutus super gentes ad destruendum et aedificandum propterea quod electus est futurorum praenuntiator, sed quia per se et per suos Apostolos divina Verbi sui virtute potuit destruere opera diaboli et plantare ecclesias. Similiter ergo Hieremias et quicumque alius coelesti spiritu afflatus concionator qui non solum dicit vera sed etiam ita dici ut videatur loqui tanquam potestatem habens scilicet ad commovendos efficaciter auditores et regnum diaboli destruendum et regnum Dei aedificandum, ille merito dicitur constitutus super plebem ut evellat etc

Nota cur Christus dicatur docuisse non sicut pharisei sed tanquam potestatem habens, non igitur omnes concionatores vere dicuntur constituti super plebem sed illi quibus ad concionandum illam Christi virtutem participare concessum est inter quos nobilissimum fuisse Jeremiam et praesente testimonio doceri videmur et morum mutatione quam in diebus Josiae factam fuisse narrat Sacra Scriptura 4 Regum et 2 Paralipomenon.

Quod si obiicias tempore Elliazim et Sedeciae regum ex concionibus Jeremiae parum aut nihil fructus esse collectum. Respondeo id ipsum valde perpendi 2 Paral 36,12 *fecit malum Sedecias neque erubuit faciem Jeremiae* ac si diceret merito destructum esse eius regnum quod tanti prophetae concionibus non est conversum ad Dominum cum vel propter eius reverentiam converti debuissent ne divinam concionatoris virtutem contemnere viderentur.

25. *Ut aedifices et plantas.* Coniungit proculdubio duas metaphoras horti et edificii et similiter coniungit Paulus 1Cor 3, *Dei aedificatio estis, Dei agricultura estis*, ubi etiam per totum caput concionatorem facit aedificatorem et agri cultorem; videtur ergo Deum O.M. habere hortum adjunctum domui et constituit super eam eos qui et aedificii et horti curam habeant.

26. Proponit Capella dubium cur illis quatuor verbis ut evellas etc duo tamen respondeant [f.83v] constructiva. Vide quid ille respondeat iuxta suam explicationem; iuxta nostram videtur Dominum in aedificiis materialibus multo plus opere poni in consructione novi quam in veteris demolitione; in spiritualibus vero totam fere difficultatem consistere in delendo veteri aedificio et auferendis impedimentis. Adde quod in materiali aedificio numquam per se resurgit quod semel excissum est, in spirituali vero non cessat in hac vita excidendi labor et ideo una cum aedificationis metaphora coniungitur alia ab agricultura desumpta et sicut plantandi verbo duo respondent scilicet evellendi et destruendi.

[f. 84] [en blanco]

[f.84v] Quod si forte dicas ubi nos legimus *vigilabo ego super verbo meo* iuxta Pagninum<sup>34</sup> et Arias<sup>35</sup> legendum esse *festinabo ego* et ad signandam hanc festinationem convenientiorem esse *amigdalum* quia cito florescat, hanc enim rationem Theodoretus<sup>36</sup> et Pagninus hic et frater Luisius Leo<sup>37</sup> in Abdiam. Repondeo in Vulgata et 70 et in Patribus non legitur *festinabo* sed *vigilabo* et si daretur optio multo aptius esset repraesentare Deum *vigilantem* quam *festinantem*.

31. Sed accedamus iam ad geroglifici formam et examinemus quid viderit propheta; habet *virgam vigilantem ego video*. Pro virga 70 reddunt baculum, sed aptior est virgae nomen quia omnino sermo est de sceptro quod Sacra Scriptura solet appellare *virgam* licet in antiqua forma parum aut nihil intersit inter *virgam*, *baculum* et *sceptrum*; sed in praesenti agi de virga qua ratione est *sceptrum* et insigne gubernatoris satis patet ex intentione geroglifici; quae enim alia virga adhibenda est ad divinae providentiae et sumi gubernatoris *vigiliam* designandam nisi *sceptrum* quod est *justitiae* symbolum ut bene Guevara<sup>38</sup> in Abacuc et praecipue cum sermo sit de *vigilia* ad *vindictam* et virga gubernatoris sicut et *gladius*

<sup>34</sup> SANCTES PAGNINI, *Veteris et Novi Testamenti nova translatio*, Lyon 1527.

<sup>35</sup> ARIAS MONTANO, B., *Biblia poliglota*, Amberes 1572.

<sup>36</sup> THEODORETUS, *In Jeremiae Prophetiam, c.1.* PG 81, 502.

<sup>37</sup> FRAY LUIS DE LEÓN, *In Abdiam Prophetam Expositio*, Salamanca 1589.

<sup>38</sup> ANTONIO DE GUEVARA, *Commentaria in Habacuc*, Madrid 1585.

vindictam malefactorum et puniendi potestatem designat. Maneat ergo virgam esse sceptrum et licet caldeus forte ut difficultatem declinaret per virgam intelligere videatur eum qui gestat virgam ita ut propheta non viderit virgam vigilantem sed regem vigilantem, hoc tamen non est pingere geroglificum sed eius explicare sensum.

32. Dices quomodo potuit videri sceptrum vigilans. 1<sup>a</sup> sententia est Jeremiam vidisse virgam amigdalidam, sic enim vertit Theodotius neque repugnat Vulgatae ut bene Capella. Pro hac explicatione sunt Theodoretus, Pagnini, Arias et Leo ubi supra.

2<sup>a</sup> sententia est Jeremiam vidisse virgam nucciam, scilicet un cetro de nogal, sic enim videntur intelligendi 70 et Patres qui illos sequuntur et similiter non repugnat Vulgata in qua nomine vigilantis potest referre vim et etimon eius nominis hebraici quod si ponatur amigdalum vel nucem sicut ponitur pax pro Hierosolyma cum dicitur factus est in pace locus eius scilicet in ea civitate quae pacis nomine decoratur. Similiter ergo virga vigilans scilicet facta ex arbore quae lingua hebraica sonat vigiliam.

33. Dico tamen has duas sententias mihi non satis probari quia non video quomodo per eas maneat geroglificum satis aptum et Sacrae Scripturae gravitate dignum; cum enim ista gratia emblematis consistat in proportione rei quae depingitur cum ea quae significatur ea causa proportionem non invenio in virga amigdalida vel nucea ad cum Dei vigilia vel non sumitur tota proportio ex paronomasia et nominis hebraici sono et hoc quod alioqui habet in Sacra Scriptura locum et dignitatem certe in enigmatibus insulsum est et ignobile ut si nobis sulfur adducatur ad designandam patientiam quia nostra lingua sonat piedra azufre et in universum enigmata omnia quae innituntur sono literarum et frivola sunt et vili venduntur. Si vero praeter nominis alusionem ex natura vel nucis vel amigdali sumatur proportio nihil invenio satis **[f.85]** aptum quia quod maturius floreat amigdalum non est ad rem, ut supra, adde quod qui dicunt Jeremiae objectum esse virgam amigdalidam videntur eam cum flore vel fructu accipere, alioqui enim quomodo agnosceret Propheta eam virgam esse amigdalidam atqui virga cum flore vel fructu vel fructu accipere. Alioqui enim quomodo agnosceret propheta eam virgam esse amigdalidam atqui virga cum flore vel fructu non est ceptum atque ita, licet forte designet festinationem aliquam sed nescio quomodo festinationem Dei, quomodo enim ea virga divinum aliquod.

Iam vero si fingatur sceptrum ex arbore nucceo cuius materia facile agnoscitur quid habet obsecro eius arboris natura aptum ad misterium Dei vigilantis. Respondet Theodoretus fructui nocis corticem esse duram sub quo latet sententia atque ita divinam correctionem pre se ferre acerbiter et molestiam. Sed quae sequuntur esse perutilia.

Sed contra quia Deus non volebat significare suam correctionem utilem fore. Quidam ait arborem nuceam esse suapte natura contrariam somno ut referunt Procopius<sup>39</sup> et Ciryllus<sup>40</sup> super id Esaiiae 11 *Ecce virga de radice Jesse*, et si hoc verum esset forte non assumeretur inepta proportio ut significaretur Dei vigilia vel ut significaretur virga sive correctio Dei esse nucea id est somni excitativa.

Dico tamen hoc quod affertur de natura nucis non videri satis solidum atque ita Cyrillus et Procopius non asserunt sed referunt et, si esset verum, non erat satis ad rem quia res significata non est Deum sua virga alios excitare sed vigilare super verbo suo ut faciat illud.

34. 3<sup>a</sup> sententia dicit Jeremiae obiectum esse virgam stantem et oculum ei insistentem. Hac enim ratione figurabant egyptii Dei providentiam ut ait Cyrillus 9 Contra Julianum et Pierius<sup>41</sup> libro 26 verbo Deus et Capella hic.

De hac sententia dico eam non videri juxta simplicitatem textus quia ad dicendum se vidisse virgam et oculum insistentem. Quis obsecro diceret se vidisse virgam vigilantem, ego sane potius dicerem me vidisse vigiliam super virgam.

35. 4<sup>a</sup> sententia est Jeremiam vidisse virgam stantem et erectam et ideo eam appellasse vigilantem quia stare est habitus vigilantis et jacere dormientis. Videtur ergo vigilare virga quae non jacet sed erecta stat et presertim cum non innitatur alteri rei. Haec sententia simplicissima videtur et aptissima ad mysterium et similiter tradit Cyrillus et ex eo Pierius et Capella. Aegyptios hac ratione solitos fuisse Deum vigilantem depingere et suspicor illam picturam ex hoc loco Jeremiae loco ortum habuisse sed cum postea forte videretur esse suboscuro jerooglificum, claritatis gratia addiderunt virgae oculum insistentem. Verum aptior est et divinae simplicitati congruentior virga per se cohaerens et per se stans; cum enim virga prudentiam designet et justitiae curam in caeteris gubernatoribus, ea cura et prudentia videtur adjacere et quasi per vim sustentari quia per se cadet sceptrum nisi manu fulciatur sola Dei providentia per se cohaeret atque ita non est visa virga Jeremiae in alicuius manu sed sola virga et tamen non jacens sed erecta et per se stans. [f.85v]

36. *Ollam succensam ego video et faciem eius a facie aquilonis*. Omnes fere interpretes volunt intelligere objectam fuisse visioni prophetae communis ollae sive cacabi ferventis imaginem, et a facie aquilonis interpretaari videntur vel quod eam ollam a longe viderit quasi in regione aquilonari id est in Caldea

<sup>39</sup> PROCOPIUS GAZENSIS, *Commentarii in Isaiam*, PG 87/2, 2039-2059.

<sup>40</sup> CYRILLUS ALEXANDRINUS, *Commentarium in Isaiam prophetam*, PG 70, 310-315.

<sup>41</sup> PIERIO DE ALEJANDRÍA. No se conoce la fecha de su nacimiento. Murió en Roma después del 309.



existentem vel quod viderit eam Hierosolimis quidem existentem sed in latere aquilonari civitatis et quidem per ollam ferventem videtur non inepte designari fervens ira quia valde iratis videtur pectoris olla fervere quare ad iram Domini vel ad iram asiriorum multi referunt hoc emblemata ita ut locus in quo visa est olla significet gentem cuius iram propheta praevidebat et gentem per quam ira Dei erat manifestanda. Alii per ollam succensam Judeam ipsam vel Hierosolyman belli ardore vel calamitatibus consumptam intelligunt et ideo aiunt a facie aquilonis visam ollam quia ab aquilone erat veluti asserendus ignis futuro incendio.

37. Ego adhuc requiro quomodo supra dicta explicatio nobis exhibeat aptum aliquod emblemata pro quo opus est ut pictura ipsa quae obiecta fuit visioni prophetae apte repraesentet totum id quod postea explicatur scilicet ab aquilone panditur omne malum super omnes habitatores terrae huius. Certe dato quod olla fervens in Assiria existens optime conveniat ad iram huius populi designandam et ad consummendi potestatem, non tamen video quid sit in hac repraesentatione per quod apte significetur eam iram ad calamitatem judaeorum pertinere quare potius dicerem visam fuisse ollam ferventem existentem in Judaea a latere Aquilonis per eamque significari iram gentis aquilonaris in Judaea deservientem.

Dices: cur olla fervens verbi gratia in muro vel in campo aquilonari Hierosolimae potius designet aquilonares sevire contra judaeos quam judaeos contra aquilonares. Respondeo ollam ferventem designare belli incendium et ex loco intelligitur ibi esse dimicandum judaeis contra aquilonares atque adeo bellum esse ab asiriis inferendum et judaeam belli incommoda subituram.

38. Dices: verum neque hac ratione satis significanter depingitur quod erat praecipue significandum quia dato quod bellum figuretur apte per ollam ferventem et dato quod locus in quo visa est olla satis sit ad indicandas gentes inter quas futurum erat bellum, nihil adhuc cernitur in emblemate per quod significetur id quod praecipue intenditur scilicet victoriam penes asirios futuram, quare optandum videtur ut aliqua ratione olla succensa designet exercitum asiriorum et carnes quae in illa succenduntur vel cocuuntur sit respublica judaeorum quae in eo bello decocta est atque consumpta.

39. Mihi, ut ingenue fatear servata ollae proprietate non occurrit quid dicam. Vellem tamen doceri an posit ollae nomen apud hebraeos eo modo extendi quo apud hispanos qui magnam aliquam concavitatem appellamus ollam, atque ita dicimus periculosum esse illius fluminis vadum cui aliqua [f.86] subest olla si ea frasis semel admitatur significantissima erit haec visio intelligendo prophetae obiectam esse magnam aliquam concavitatem aquilonarem evomentem ignem versus Hierosolyman, un volcán de fuego que amenazaba a Judea aut (quod magis puto) si olla succensa posset

accipi pro magna aliqua concavitate inflammata ea est vehementis ventus verissima causa ut explicavi In 3,7 quare sicut in bombardae satis explicatur per methonimiam esse subsequentis damni indicata solum causa, nisi quis diceret se vidisse flammam sic tempestas et ventus subsequens egregie significantur per descriptionem magnae concavittatis inflammatae et sicut ex situ et positione bombardae intelligitur versus quam partem minetur flamma illius veluti ollae quam habet sic etiam ex dispositione concavittatis pendet quo tendant venti et cui terrae minentur, illi enim qua data porta ruunt qui ergo cum esset Hierosolymis dicebat se videre concavittatem succensam a facie aquilonis certe videbat portam illius concavittatis atque adeo tempestatem Hierosolymis minari quam vero apte significantur belli calamitates et clades quas Judaea acceptura esset a caldeis per metaphoram tempestatem ingruentis id per se facile intelligitur.

40. Constat aquilonis nomine intelligi caldeos et asirios quorum metropolis erat eo tempore Babylon. Sed dubitatur quae sit huius nominis causa. Ribera Joelis 2,9 ait causam nominis esse quod caldei et asirii judaeis sunt ad septentrionem unde flat aquilo et probat quia Hierusalem est in 32 gradu latitudinis et Babilo 35 et Ninive 37 verum haec ratio nihil probat nisi in his qui in eodem meridiano degunt alioqui Roma esset Hispali septentrionalis quia hic sumus in 37 gradu latitudinis et Roma in 40 et tamen simpliciter dicitur orientalis quia linea recta quae Hispalim Roma ducatur multo magis accedit ad orientalem quam ad setentrionalem ergo eadem ratione Babylon respectu Hierosolymis potius est dicenda orientalis quam septentrionalis. Dico ergo aquilonem non esse ventum septentrionalem sed medium inter eurum et septentrionem ut patet ex Plinio et licet adhuc forte Babylon per se considerata magis sit orientalis quam aquilonaris verum non habetur ratio Babilonis per se sumptae sed totius imperii asiriorum eo quod exercitus Nabucodonosoris ex omnibus illis regionibus collectus sit.

41. In ordine quo Jeremias vidit virgam et ollam philosophantur Origenes et Hieronymus et nota prius adhiberi virgam correptionis et postea cacabum suplicii. Vide etiam Rupertum c.5. Verum si virgae significatio est illa quae explicatur cap. 44 [27] *ego vigilabo super eos in malum donec penitus consummentur [f.86v] gladio et fame donec penitus consummentur* non est minus terribilis virga quam olla.

42. *Super omnes habitatores terrae* Satis patet de solis judaeis esse sermonem et sic non loquimur ya fulano está en la tierra, scilicet ya ha venido a esta tierra.

43. *Et loquar iudicia mea cum eis* scilicet cum judaeis sensus autem videtur is quem nos exprimimus dicentes notificarles he una sententia rigurosa.

44. *Tu ergo accinge lumbos tuos.* Sic dicimus accingete operi, haldas en cintura, manos a la labor.

45. *Neque enim timere te faciam* Vide Capella ex Hieronymo. Sed si dictio hebraea omnino significat ne forte ne timeas num fortasse permissurus ego sim ut vultum adversariorum sustinere non possis et paveas, atque ita idem erit sensus nostrae lectionis ne timeas neque enim pavere te permittam in eodem fere sensu dixit Dominus *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini dabitur* etc. Caetera iam sunt explicata vel per se satis patent.

[sequitur] **Caput 2**